

tutandas, legati extra ordinem, qui tamen supremo Donati imperio parerent, missi; Andreas Gabrielius Bergomum, Joannes Nanius Cremam, quo etiam Annibal Gonzaga, qui militiae præfesset, ex Mantuano vocatus; Bergomi Petrus Antonius Godius, Vicetinus, aderat. Quatuor insuper peditum millia adjicerentur, latum: ut præter urbium atque arcium custodias, Italorum peditum septem ex Istria ac Dalmatia evocatorum tria millia recenserentur, bina Helvetiorum, totidem Gallorum ac Lotharingorum millia in itineris procinetu essent. His addebantur ex ordinibus qui pugnacissimi, imprimisque ad ferreas fistulas tractandas exercitatissimi habebantur, quatuor ac viginti millia; cataphractorum vero equitum quingenti, Græci totidem: his & hostium sustineri impetus, & arces defendi posse videbatur, cum præsertim situ, munitione, annona ad oppugnationem vel obsidionem sustinendam pares essent. Unanimi enim insignium militiae præfectorum consensu, ad Bergomum tantum invadendum, septuaginta millium copiæ vix sufficere censebantur; ad pleraque vero conficienda, cum imprimis pecunia opus esset, neque augeri vectigalia, neque subjectis eam imperare placuit; ex erario publico est deprompta. Bergomum aureorum quinquaginta millia, totidem Brixiam, Veronam ducenta millia a Marco Antonio Pisano devehi jussum; qua proficisceretur plaudentibus populis, quod nihil ad eorum tutelam a Senatu prætermitteretur. Inde civitates non modo atque oppida, sed privati etiam certatim Reipublicæ opem offerre; nonnulli suis impensis vel peditum vel equitum numerum exhibere; alii cum amicis & obæratis clientibus suis operam deferre; quidam privatam pecuniam in publica militum stipendia polliceri. Legatus interea arces invisere, copias lustrare, milites labori assuefacere, ex ordinum quatuor millibus electis, qui pro nutu quocumque jussisset convenienter. Joannis Baptiste Montii, Francisci Martinengii in muneribus suis obeundis par laus industriae.

Ceterum Marci Venerii extra ordinem legatio parum Clementi grata fuisse videbatur, vel quod argui se negligentiae in pontificio munere administrando suspicaretur, vel quod inde occulta, ambitionis plena, concordiaque adversa consilia

1601

*Andreas  
Gabrielius,  
& Joannes  
Nanius  
Bergomum  
& Cremam  
legati mit-  
tuntur.*

*Pecunia &  
Venetiis in  
continentis  
urbes mi-  
sa.*

*Venetorum  
subjecti ad  
Respublicæ  
opem feren-  
dam pro-  
pensi.*